



**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

livi [i.e. x]. Actus ver[us] nequit fieri falsus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

est adæquate intrinseca, cùm potentiae intentionales non tantum à nuda actuum entitate, sed simul ab objectis, quatenus hæc terminant actus, perficiantur, ut patet in visione beatifica.

X. Nihilominus actus, qui semel fuit verus (actum enim omnino eundem, qui jam est verus, potuisse esse falsum, sequitur ex dictis) non potest ex vero fieri falsus; actus enim semel repræsentans objectum sicut est, semper repræsentat objectum, sicut est; quia hic actus: *Petrus currit*: vel affirmat Petrum currere toto tempore, quo durat propositio, vel pro determinato tempore. v. g. pro instanti A, vel pro indeterminato aliquo tempore; & erit semper verus, Petro currente vel toto isto, vel determinato isto, vel pro aliquo tempore, et si continuetur dein propositio pro alio tempore, quo non currit Petrus; quia pro illo eum currere non affirmatur. Sic quando dicitur *Petrus currit nunc*: vel intelligitur idem *nunc* instantis, vel diversum (cum τὸ *nunc* significet tantum tempus præsens, vel hoc, vel illud) vel pro isto *nunc* vel pro alio *nunc* affirmatur currere. Sic si dicatur: *Petrus currit tertio quadrante proximè*

D 7

sequen-

sequente , posito quod eo quadrante currat Petrus , erit actus verus , et si continuetur dein post tertium quadrantem , quando Petrus non currit amplius. Idem deniq; est circa prophetias Scripturæ , v. g. dum dicitur : *Virgo pariet & concipiet* : quæ nunc sunt , & in æternum erunt veræ , si τὸ παρίτ non significet tempus futurum post hoc instans, sed futurū, post tempus, quo Isaias hoc dicebat. Veritas ergo ideo non est actui non essentialis, quia ab eo separari potest, sed quia potuisset ab eo separari , quia potuisset idem actus , qui nunc est verus , esse falsus , objecto aliter se habente , quam jam se habet.

XI. Veritas propriè formalis & in dicendo seu perfecta, conformitas nimirum cognitionis dicentis seu enuntiantis & determinantis se ad alterutram partem contradictionis , soli convenit iudicio : veritas tamen in repræsentando seu veritas inchoata , quæ est sine affirmatione & negatione , tamen apprehensioni simplici , quam complexæ convenit; sic enim apprehensio contra imperium voluntatis jubentis repræsentari hominem, repræsentans pīcēm , adhuc objecto suo est  
con-